

gant; ac sicut stillicidium domesticos domo eiecit, ita mulieres rixae, quae nunquam quiescunt, sed semper stillant, eosdem domo eliminant. R. Levi: Vexors parenti est ipsa calamitas, et perniciosa ob iram vehementem et mororem, quibus succumbit ob nefarium agendi rationem filii. Idem etiam gravissime angitur, cum ab uxore sua jurgia rixasque scri advertit, quemadmodum ab assiduo stillicidie in domum jugiter defluente vexatur; hinc enim efficitur ut domi se continere gravissimum ducat, quod idem ob mulierem seditiosam contingit.

Beda per mulierem litigiosam accipit haeresin et haereticos, qui non nisi lites et rixas stillant, quibus evertant domum Ecclesiae. Verum hoc mysticum est.

Igitur ad litteram Salomon duo hic velit homonymia assignat, ejusdem scilicet generis et cognominis (nam filius stultus saepe vel nascitur, vel educatur a matre stulta, imprudens et rixosa, quae marito permotata sunt, et dolores graves creant. *Primum* est filius stultus, id est imprudens, liber, vagus, inobediens, rebellis, ebriosus, rixosus, etc.; hujus enim stultitia, id est malitia et pravi mores, tribuuntur patri, quasi is illos eum docuerit, aut dissimularit nec correxerit. Vide dicta cap. x, 1, et cap. xiii, 1. *Secundum* est uxor rixosa, quae crebris suis libus et queritionibus, velut stillis assidue tundit et pulsat aures animique mariti, ac tandem pertundit, ut eum in iram, impatientiam et tristitiam, mororemque continuum, qui eum consumat, adigat. Sicut enim stillae continuo cadentes cavant sensum lapidem, sic rixae uxoris assidue excavant et exhauriant cor mariti, licet robustum et adamantinum. Rursum et magis apposite *Noster stillicidium* (ut habent Hebraei) refert ad tecta, q. d. Sicut tecta jugiter persillantia exedunt trabes, lapides, tabulatum, pavimenta, totamque domum destruant faciuntque inhabitabilem, et ideoque cogunt incolas alio migrare: sic et uxor assidue litigans cogit pene maritum ei dare libellum repudi, aliamque docere, quod olim Judaeis erat licitum, aut certe facere divortium jam Christianis permixtum, ut se ab ejus thoro et consortio separet, imo in alias domos, terras et regiones commigret. Hoc enim suavis est, quam omnem in querelis et rixis transigere vitam: haec enim non humana, sed canina est vita, ac mors potius quam vita. Nec tantum maritum, sed et famulos, ancillas, filios et filias litigiorum ejus impatientes et perterritos cogit alio aspirare et migrare. Hinc esse sensum liquet ex cap. xxvii, 13, ubi haec sententia repetitur: «Tecta persillantia, inquit, in die frigoris et litigiosa mulier comparantur.» Ibi enim Septuaginta vertunt, *quae eieciunt hominem in die hiematis de domo sua; sic et mulier conviciatrix de propria domo.*

Porro mulieres multae in lites et rixas pronae sunt quia natura sua superbae sunt, loquaces,

diaceae, inviolatae; unde quod vi et armis non possunt, hoc verbis et querelis extorquere conantur; iracundiae praesertim, cum praegnantibus sunt, et uterum ferunt ex femella, cujus causam physicam dat Petrus Apponensis, insipiens medicus, in *Problema Aristotelis*, lib. X, cap. xxxv. Hinc Menander, libro II *De Arte amandi*: «Dos est uxoria, lites.» Juvenalis, *satyra* 6:

Nulla fore causa est, in qua non femina litem Moverit.

Et post pauca:

Semper habet lites alternae jurgia lectae, In quo nupta ^{minimam dormitat in illo.}

Certe Socrates ad *Ae* sive Xantippes jurgis exagitatus ad ea jam occalluerat, ut is non magis offenderetur, quam si rotae putcalis stridorem audiret; diciturque se domi ab ea discere tolerantiam, qua in publico utendum esset. Vide Laertium, libro II, cap. v. Socratem imitentur mariti, qui Xantippes duxerunt. Terentius in *Eunuchis*:

Novi ingenium mulierum: Nolunt ubi velis; ubi velis, capiunt ultra.

S. Hieronymus, lib. I *in Jovianum*, citat illud ex Vario Gemino: «Qui non litigat, coelebs est.» Xystus Pythagoricus in *Enechis*: «Si pugnare vis, uxorem due, et filios procrea.» Exstat hic juxta Romam in via Tiburtina monumenti inscriptio, quam citant Jovianus Pontanus, lib. *De Obedientia*, Volaterranus in *Philolog.*, et alii; estque haec: «Aeus, viator, miraculum! hic vir et uxor non litigant. Qui sumus, non dico. At ipsa dicam: hic Behus ebrius ebriam me nuncupat. Hei, uxor, etiam mortua litigat!»

Nota: Septuaginta Hebraeorum מרינה *meri-ne*, id est contentiones, lites, eliso *iod*, derivant a נדה *nede*, id est meretricium, puta merces quae datur meretrici, a radice נדה *nada*, id est removit, elongavit, fugavit; quod haec merces quasi sordida, et seelere fornicationis maculata, arrenda esset a neto templo, sacrisque ejus oblationibus. Unde Ezechiel cap. xvi, 33, נדה *nedanin* cum *nun* paragogico vocat dona et mercedes meretricis. Haec ergo de causa Septuaginta vertunt, *neque vota meretricis mercede oblata casta sunt.* Alludit ad illud a Deo sancitum: «Non offers mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini tui, etc., quia abominatio est utrumque.» *Deuter.* xxiii, 18. Vide ibi dicta, et Philonem in elegantiori oratione cujus est titulus, *Mercedem meretricis non esse recipiendam.*

Topologice, Auctor *Cataena Graecorum*: Merces meretricis, inquit, est animi impuritas, cujus oblatio Deo placere nequit. Huc accedit S. Ambrosius, lib. III, *epistola* 19 ad *Constantianum*: «Totus mundus, inquit, possessio ejus (sapientis)

est, quoniam toto eo quasi suo ulitur. Quid igitur circumscriptur frater? quid fraudatur mercenarius? Non magna, inquit, lucra de mercede meretricis (*Proverb.* xix), id est lubricis istius fragilitas. Meretrix ipsa non specialis, sed publica. Non una mulier, sed vaga omnis cupiditas, meretrix est. Verum Vulgata versio uti aptior et Hebraea conformior, sic et verior est ac germanior.

14. DOMUS ET DIVITIAE DANTUR A PARENTIBUS: A DOMINO AUTEM PROPRIE UXOR PRUDENS. — Hebraice, *domus et divitiae* (sunt) *haereditas patrum; sed a Domino uxor intelligens*; Aquila et Theodotus, *sciens*; Syrus, *a Domino desponsatur uxor viro*; Chaldaeus, *a Deo traditur mulier viro*; Septuaginta, *domum et substantiam dividunt patres pueris; a Domino autem optatur mulier viro*; S. Ambrosius, *a Deo preparabitur uxor viro*; Auctor *Cataena Graecorum*, *uxorem autem marito consociat Deus.*

Per domum accipit tum proprie dietam, tum familiam familiaeque splendorem, dignitatem et nobilitatem; haec enim a parentibus transmittitur ad filios.

Nota *proprie*, q. d. Uxor prudens est proprium et singulare donum Dei. Sic Sara a Deo data fuit Abrahae, et altera Tobiae, Rebecca Isaac, Rachel Jacobo.

Dices: Etiam domus et opes sunt donum insignie Dei. Respondeo: Verum est; sed quia illa a parentibus hereditate relinquuntur filiis, uxor vero commoda et prudens, licet sollicite inquirenda sit, maxime tamen a Deo procuratur, et ab eo petenda est; Deus enim licet sua providentia omnia regat, curet et procuret, magis tamen curat et procurat majora et magis necessaria: talis autem est uxor fidelis, sapiens, commodis moribus, et viri ingenio congruens, quia inde pendet fides, pax, salus et praedestinatio viri, filiorum et totius familiae. Sicut ergo in vocatione ad statum Religionis, haec potius Religio quam illa huic homini congruit, et a Deo preparatur, si Deum vocationem consulere, audire et sequi velit: sic pariter qui vocatur ad matrimonium, non tam sua aut parentum, sive phantasia, sive cupiditate, sive sollicitudine et industrie, quam Deo debet inniti, atque ab eo, ut sibi commodam et congruam dirigat, identidem obsecrare. Simili sensu dixit cap. xvi, 1: «Hominis est animam preparare, et Domini gubernare linguam.» uti ibidem expliunt. Septuaginta pro *optatur* graece habent *επιζητεται*, quae vox valde accommodata est rei praesenti, habetque emphasim; *επιζητεται* enim est idem quod congruo, adapto, quadro, compono, conglutino, tempero: et maxime competit musicis, qui voces diversas, graves, acutas et medias inter se contemperant, ut suavem concentum et harmoniam efficiant. Similis debet esse harmonia, id est compositio, coaptatio, congruentia, consonantia inter virum et uxorem; haec autem solus efficere potest Deus. Itaque haec sententia non tantum signi-

ficatur matrimonium, sive connubium viri et uxoris, institutum esse a Deo, uti explicat S. Chrysostomus, homil. 23 *in epistolam ad Romanos*, et Innocentius Pontifex, xxvi, c. 3 *Deinde*, § Si vero: hoc enim commune est omnibus matrimoniis, etiam rixosis et pessimis; sed insuper significatur in particulari, viro prudenti et probato a Deo preparari uxorem prudentem et probam, haecque esse ingens et proprium donum Dei.

Dixerat versu praecedenti Sapiens quantum malum sit uxor rixosa: nunc mali remedium exhibet, scilicet ut quaeratur uxor prudens, ideoque compositis moribus, placida et obediens; haec autem esse donum Dei asserit, ideoque a Deo assidue flagitandam. Non enim omnis uxor, etiam bona, cuilibet viro est congrua, v. g. tristes non est commoda laeto, nec pauper diviti, nec plebeia principi, nec liberalis tenaci, nec lenis austero, et ita de caeteris; sed lenis leni, laeta laeto, austera austero, dives diviti, nobilis nobili, pauper pauperi, adeoque inter virum et uxorem debet esse proportio et congruentia affectuum, morum, conditionum, qualis est vocum in harmonia musica. Cum ergo hanc harmoniam solus norit Deus, ut pote qui solus novit et pervidet internas affectiones, conditiones, infirmitates viri et uxoris, ideoque solus novit quae uxor cui viro congruat, hinc ipse solus hanc conjugum et matrimonii harmoniam vel procurare, vel efficere potest. Verum, quia plerique, dum quaerunt uxores, non spectant hanc harmoniam, sed uxorum opes, nobilitatem, pulchritudinem, etc., hinc multa videmus molesta et infausta passim conjugia. Quae enim potest esse voluptas, quae consonantia, quae felicitas, ubi quod maribus vult, uxor non vult; quod ille amat, haec odit; de quo ille laetatur, haec tristatur? Quae recreatio cohabitare tali, eique intime conjungi, idque per omnem vitam, quae tuis moribus et sensibus plane est adversa? Omittit lites, rixas, zelotypias, etc., quae inde nascuntur, ac non raro utrisque exitium praesens et aeternum afferunt. Sane multi damnantur, eo quod conjuges sibi incongruas, ideoque molestas et rixosas nacti sint.

Porro haec harmonia viri et uxoris, ut sit suave probumque conjugium, multiplex est, multaque requirit, nimirum primo, consonantiam religionis, fidei et pietatis, ut scilicet uxor non sit heretica, infidelis et impia, sed cum marito in fide et pietate consentiat; secundo, consonantiam morum; tertio, consonantiam conditionum; quarto, consonantiam amoris; quinto, consonantiam temperandi prospera et adversa; sexto, consonantiam pacis et concordiae in familia.

Igitur, uxor intelligens et prudens est primo, quae se accommodat religioni et pietati mariti, imo quae maritum a religione et pietate deflectentem in viam revocat, et ad eum reducit, uti Patricium regae ac filium S. Augustinum reduxit S. Monica, Clodoveum Clotildis, Constantinum

Uxor congrua viro in pietate, fidei, bonis.

Solutio.

Primo, religio.

S. Helena, etc. Hæc enim prima maximeque necessaria conjugi est harmonia. Audi S. Ambrosium in cap. XVI *Lucæ*, lib. VIII, sub initium: « Domum et substantiam patres partiuntur filiis; a Deo autem preparatur viro uxor: quod qui in Græco legit, non putat esse contrarium; bene enim dixit Græcus ἀπαράτητα. Harmonia enim conveniens et apta rerum omnium dicitur commissa connexio. Harmonia est, cum fistule organi per ordinem copulatae legitime tenent gratiam cantilenæ, chordarumque aptus servat ordo concordiam. Itaque non habent harmoniam suam nuptiæ, quando Christiano viro Gentilis mulier non legitime copulatur. » Ac post nonnulla concludit: « Ergo ubi nuptiæ, harmonia esse debet; ubi harmonia est, Deus jungit; ubi harmonia non est, pugna atque dissensio est, que non est a Deo; quia Deus charitas est. Noli ergo uxorem dimittere, ne Deum tue copulæ diffitearis auctorem; etenim si alienos, multo magis uxorios debet tolerare et amende mores. »

Hæc est prima causa cur non sit duenda uxor infidelis vel hæretica, quia scilicet solvit harmoniam fidei et conjugii. Duas alias dat idem S. Ambrosius, lib. I *De Abraham*, cap. IX, scilicet primo, quod casta probisque moribus esse nequeat illa que caret fide; fides enim est basis et fundamentum castitatis cæterarumque virtutum; secundo, quod periculum sit ne infidelis et hæretica maritum pervertat, faciatque sibi similem infidelium et hæreticam. « Cum sancto enim, inquit, sanctus eris, et cum perverso pervertaris. Si hoc in aliis, quanto magis in conjugio, ubi una caro et unus spiritus est; quomodo autem potest congruere charitas, si discrepet fides? Et ideo cave, Christiane, Gentili aut Judæo filiam tuam tradere. Cave, inquam, Gentilem, aut Judæam, atque alienigenam, hoc est hæreticam et omnem alienam a fide tua, uxorem accersas tibi. Prima conjugii fides castitatis gratia est. Si idola colat, quorum prædicantur adulteria; si Christum neget, qui præceptor et remunerator est pudicitiam, quomodo potest diligere pudicitiam? Si Christiana sit, non est satis, nisi ambo initiati sitis Sacramento baptismatis. Simul ad orationem nocte vobis surgendum est, et conjunctis precibus obsecrandus Deus. Accedit aliud insigne castimoniam, si credas a Deo tibi quod sortitus es, conjugium datum. Unde et Salomon ait: A Deo preparatur viro uxor. Non possum, hoc dispares fide credere, ut ab eo quem non colunt, patent sibi conubii imperitam gratiam. Ratio docet, sed amplius exempla movent. Sepe illecebra deceptit impari, puta ditiori, vel nobiliori, sataget ipsa suo labore, sua virtute, sua prudentia compensare quod opibus vel nobilitate deest. Adeoque adæquare vel sperare opes et genus mariti. Sicut ergo cum ramus unius arboris alteri inseritur, ejus conditioni per omnia se conformat et adæquat, ut videatur non insitus, sed enatus: sic pa-

Secundo, uxor prudens est, que se moribus mariti conformat, imo suos ad ejus mores fingit et format. Non sufficit enim uxori, quod sit casta, proba, sancta; sed insuper marito obsequi et obsecundare debet, ut conjugii in morum consonantia suavem gratamque harmoniam efficiat. Sicut enim in cithara, lyra, vel organo non sufficit chordam vel fistulam quamlibet gratum sonum reddere, sed quolibet alteri, adeoque omnes inter se apta proportione contemperari debent, et succinat, itaque omnes simul unum modulentur concentum: sic pariter in societate, presertim conjugii, non sufficit quemque sibi esse bonum, sed unus alterius moribus et sensibus sese accommodet oportet, ut unum omnes edant civis societatis concentum. Rursum, sicut materia certis qualitatibus, v. g. lignum siccitate et calore, forme, puta igni, congruentibus preparari et disponi debet, ut deinde in eam forma ignis inducatur: sic pariter uxor moribus mariti congruere debet, ut unum cum eo conjugium et quasi compositum economicum efficiat. In hoc enim uxor mater, maritus forme analogiam subit. Quocirca Socrates dicere solebat viros oportere parere legibus civitatis, uxores vero maritorum quibuscum vivunt, moribus; norma enim conjugii vir est. Equitas ergo docet ut viris veluti capiti obtemperet. Præclare S. Ambrosius, lib. III, epist. 25 ad *Eccles. Vercellensem*, sub finem: « Mulier, inquit, viro deferat, non serviat; regendam se præbeat, non coerendam. Indigna est conjugio, que digna est jurgio. Vir quoque uxorem tanquam gubernator dirigat, tanquam consortem vite honoret, et adhaerere ei coheredi gratia. »

Tertio, uxor prudens est, que quaerit vel facit consonantiam sortis et conditionis cum marito. Quocirca virgo prudens, si sit tenuis fortune, non consentiet nubere marito nobili vel principi, nisi ejus ancilla, non conjux, esse velit; sed quaeret maritum suæ sortis, conditionis et status. Prima enim conjugii lex est:

Si qua velis apte nubere, nube pari.

Ita Ovidius in *Epist. Dejanira ad Hercules*. Eadem fuit septem Græciæ Sapientum aliorumque plurimorum sententia, uti fuse ostendit Tiraquelius, lib. 3 *Convuls.*, num. 16 et seq. Unde Ausonius Salomonem ita loquentem inducit:

Par pari jugato conjux: quod impar est, dissidet.

Quod si quo casu contingat virginem tradi marito impari, puta ditiori, vel nobiliori, sataget ipsa suo labore, sua virtute, sua prudentia compensare quod opibus vel nobilitate deest. Adeoque adæquare vel sperare opes et genus mariti. Sicut ergo cum ramus unius arboris alteri inseritur, ejus conditioni per omnia se conformat et adæquat, ut videatur non insitus, sed enatus: sic pa-

riter uxor insita quasi marito per conjugium, ei per omnia se accommodet et adæquet. Hinc sicut, ut surculus unus arboris alteri inseratur, necesse est ut ejusdem cum eo sit conditionis et generis; nec enim surculus nucis inseritur piro, sed alteri ex genere nucum; nec pirus inseritur nucem, sed piro alterius speciei: sic pariter ut uxor inseratur marito, curet illum deligere, qui ejusdem secum sit sortis et conditionis. Unde Cleobulus æqualem uxorem ducendam esse suadebat; si enim ex superiore familia duxeris, inquit, non affines tibi, sed dominos comparabis. Ita Stobæus, serm. 3 *De Temperantia*.

Quarto et maxime uxor prudens est, que cum marito efficit consonantiam amoris; hæc enim est vinculum, nodus et anima conjugii. Quocirca nulum amabit nisi maritum, affectum omnem in eum defiget, cor suum ei tradet; quod ipse diligit, diligit et ipsa; quod ipse odit, odit et ipsa. Ubi enim est amor, ibi Deus est auctor et mediator conjugii; ubi vero est odium, ibi diabolus est paranympheus conjugii. Audi auctorem *Imperfecti* apud S. Chrysostomum, homil. 1 in *Matth.*: « Booz, ait, interpretatur in virtute, vel virtus in ipso, sive prævalens, qui secundum imperium Dei accepit uxorem Ruth a Deo provisam; in virtute generat filios, et in seipsis virtutem habentes, et prævalentes. Qui autem accipiunt uxores ex provisione diaboli, id est, non religionis intuitu, nec fideles, in infirmitate generant filios, nec prævalentes unquam, esse fortes nisi in malo, et ad penam irreligionis suæ, non ad gaudium, nec ad consolationem videntur filios genuisse. » Hoc est, quod Deus instituit matrimonium in copula Adami et Evæ sanxit: « Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suæ, » *Genes. II, 24.*

Quinto, uxor prudens temperabit mariti nimiam in prosperis lætitiæ, et nimiam in adversis mestitiam, atque iram cæterosque immoderatos ejus affectus componet. Sicut enim David, pulsando concine citharam, leniebat iram, melancholiam et spiritum malignum Saulis, I *Reg. XVI, 23*: sic et uxor prudens sua gratia, prudentia et blandiloquentia, veluti citharæ pulsu mitigat et temperat omnes mariti mæores, indignationes cæterasque animi perturbationes. Ita S. Monica sua modestia, silentio, prudentia, iras et æstus Patricii moderabat, et quasi modulando componebat, uti refert S. Augustinus, lib. IX *Confess.* cap. IX. Sic Abigail sua humili et gratiosa oratione lenivit iras Davidis jam preperantis ad cædem et vindictam ob duritiem Nabal, I *Reg. XVI, 23.*

Sexto, uxor prudens sua sapientia facit harmoniam pacis et concordie in familia, ut omnes suo gradu contenti unanimiter vivant, nec alter alteri invidet, sed omnes in unum conspirent ad commune familie lucrum et commodum. Hæc enim asquis est pacis et unitimitatis economicæ consonantia, teste Plutarcho in *Moral.*, in qua maritus

velut bassum modulatur, filii altum, servi et ancille contratenorem, uxor tenorem, velut medium, qui bassum cum alto et contratenore harmonice componit et consociat. Quis tantam tantumque multiplicem conjugii, id est uxoris et mariti, harmoniam procurabit vel efficiet, nisi Deus omnipotens et omnipotens, qui omnia in mensura, numero et pondere disponit? *Sap. XI, 21.* Deus enim solus est qui prudentiam dat mulieri, et prudentem congruamque viro merenti deputat, juxta illud *Eccles. XXVI, 3*: « Pars bona mulier bona, in parte bona timentium Deum dabitur viro pro factis bonis. » Hinc vulgo aiunt matrimonia in cælis copulari. Confirmat Salomon: « Domus et divitiæ dantur a parentibus, a Domino autem uxor prudens. » Sic Moses attestatur Abrahami filio Isaac Rebecca a Deo preparatam fuisse uxorem. Saram propterea alius docere negavit, quia Tobie juniori timentis Deum illa ex ordinatione divina debebatur. Samsou puellam Philisteam sibi uxorem dari petebat, parentes vero illius contra legem Dei hoc esse matrimonium arbitrantur, dehortabantur eum ne duceret; nesciebant enim quod res a Domino fieret, ut ex illis nuptiis bellum inter Judæos et Philistæos oriretur, quo Judæi et diuturna servitute liberarentur. Esther, ut cæteris virginibus ab Assureo reprobefretur, Deus admirabilem pulchritudinem contulit, ut absque ornatu externo, aliis comptis atque delibutis virginibus longe præcelleret.

Quocirca conjuges, in virtute hanc harmoniam jam recensitam optent, Deum ament et colant. Si enim Deo per amorem uniantur, eodem unientur inter se: tum quia quæ uniantur eidem tertio, uniantur inter se; tum quia idem est amor, qui amamus Deum et proximum, presertim conjugem propter Deum.

Moraliter discant hic juvenes, cum uxores quaerunt commodas, non fidere sibi, nec parentibus et amicis, sed Deum sibi constituant deum, ac proinde ejus gratiam penitentia, oratione, elemosynis aliisque piis sanctisque operibus conciliare studeant, ut ab eo ad uxorem prudentem sibi congruentem manum ducantur. Legat sapiens pliumque consilium quod Raphael Archangelus dedit Tobie ducturo Saram, *Tob. VI, 16*, illudque sibi applicent et opere explant.

Mystice Auctor *Catene Græc.* sic exponit, q. d. « Domus et divitiæ, » etc., hoc est, sapientie virtutisque doctrinam imperitiorum doctores; ipsam autem virtutem et sapientiam (quæ quasi sponsa et uxor est viri sapientis) largitur Dominus. Rursum Nabal et mens virtute ornata est sponsa, quam sibi preparat et despondit Christus. Unde S. Ambrosius, lib. VIII in *Luc.*, post initium: « Invenis, ait, conjugium quod nemo dubitat a Deo junctum, eum ipse dicat: Nemo venit ad me, nisi Pater meus qui misit me attraxerit eum. Ille enim solus potuit has nuptias copulare. Et ideo mystice Salomon dixit: A Deo preparatur viro uxor.

Vir Christus, uxor Ecclesia est: charitate uxor, integritate virgo. Ergo quem Deus traxit ad Filium, non separat persecutio, non auertat luxuria, non philosophia deprædetur, non Manicheus contaminet, non Arianus auertat, non Sabellianus inficiat. Deus iunxit, Iudeus non separat. Adulteri sunt omnes qui ad alterum cupiunt fidei et sapientie veritatem. » El paulo post: « Mane ergo tu in domo patris, mane cum sponso, enitere ut placeas viro. Mens que credidisti Deo, esto fortis mulier, qualis illa vel anima, vel Ecclesia, de qua dicit Salomon: Mulierem fortem quis inueniet? Pretiosior autem est lapidibus pretiosis, que talis est; confidit in ea vir suus. » Et post nonnulla: « Veni, Domine Jesu, ut inuenias sponsam tuam, non contaminatam, non adulteratam, que non violauerit domum tuam, non mandata neglexerit. Ite tibi: Inveni quem dilexit anima mea; introduce te in domum vini (vini enim lætificat cor hominis), inebrietur spiritu, agnoscat mysterium, loquatur oraculum. »

Ver. 13. 13. PIGREDO IMMITTIT SOPOREM, ET ANIMA DISSOLUTA ESURIET. — Septuaginta, *pavor vel timiditas* (hæc enim est comes et soror pigritia) *detinet effeminatum; anima autem otiosa esuriat.* Pro soporem hebraice est *תרדמה tardema*, que vox gravem soporem et veternum significat; unde Aquila et Symmachus vertunt, *torporis*. Sic sopor Adæ immixtus fuit extasis, *Genesis* II, 21. Theodotion vero vertit, *χαλαρότης*, id est gravem soporem. Pro dissoluta hebraice est *רמייה remia*, id est remissa vel fraudulentata, ut dixi cap. x, 4. Unde Chaldaeus vertit, *et anima dolosa* (Syrus, *superba*) *esuriat.*

Salomon hic duo mala assignat, que consequuntur ex pigritia et torpore. Prius est sopor. Sicut enim labor facit vigilem, sic otium et torpor facit dormire et stertere; sopor autem ingens est malum. *Primo*, quia sopor parit penuriam et famem, uti mox dicam. *Secundo*, quia sopor laxat et dissolvit nervos, *אצות אצות* membra, ac idcirco facit hominem nervem, invalidum, languidum. « Torpore enim vires alligantur et enervantur, » ait R. Levi; ac tandem torpor vertitur in lethargum. Causam a priori dat S. Augustinus, lib. *De Quant. anime*: « Nervos, ait, vegetat mollioresque efficit siccatas calorque moderatus; contra eos laxat atque infirmat humidus rigor: itaque somno nimio (quia cum frigidum et humidum licent medici, et probant) membra languescunt, atque ipse experientia factorum conatus multo est debilior, ideoque nihil est fractus et enervus lethargicus. At quosdam phreneticos, quibus vigilie et acuta febris, id est tot calida plus nimio nervos tendunt atque durant, majoribus viribus quam integra valetudine relectare videmus, etiamsi eorum corpus sit ægritudine attenuatus et exilius. »

Tertio, quod sopor non tantum corpus, sed et ingenium inerteque hebetet et corrumpat. Sicut enim gladius in vagina semper conditus ærugi-

nem sibi inducit: sic et quies ac torpor animo gravitatem et hebetudinem; quasi æruginem, afferunt. Unde Baptista Mantuanus, lib. *I Partium*:

*Calcet, ait, erit segni, pigros rubigine sensus
Ossa corrodant, supitque pectora torpor.*

El Plutarchus in *Moral*.: « Ingenium hominis, ait, seu *carielem* et senium in otio contrahit, et muta quies, *vitaque* sedentaria non solum corcoribus, sed etiam animis mareorem concillat. »

Quarto, quia torpor et sopor sunt mortis imago, in eamque vergunt, adeoque non tam vita quam mors esse videtur. Unde illud Philosophi: « Otium est vivi hominis sepultura. » Vita enim in motu et actione consistit; piger ergo, qui ab eo vacat, non tam vivus est quam mortuus. Hinc pigritia symbolum est torpede piscis, qui e longinquo per retia torporem immittens torpore facit, imo stupefacit piscatorum manus, teste Aristotele, lib. IV *Histor. animal*, cap. xxxvii, Eliano, Plinio et aliis. Sic et pigritie symbolum est narcissus flos, ita dicitur a *vapori*, id est torpor, quod suo odore torporem et veternum inducat, teste Plutarcho, lib. III *Sympos*.

ubi nota ex hoc flore Furis infernalis coronam neci solitam, ut Eustachius affirmat; et Sophocles narcissum vocavit magnorum Deorum subterraneorum coronamentum: nimirum qui torpori student, et florem hunc desiderat olfunt, coronam infernis diis neunt; et ut strenui atque diligentes in bonis operibus corona regni sunt in manu Dei, sic contra ipsi corona ob desidia sunt demonum in inferno.

Hæc sententiae antistrophæ sunt illæ Philosophorum et Theologorum apud Antonium in *Melissa*, cap. xlv et xlvii: S. Gregorii Nazianzeni: « Segnities somni conjux. Infirma et dissoluta ingenia tum ad virtutem, tum ad vitium similiter remissa et languida sunt, difficillaque ad se commovendum, et in neutram partem insipienter inclinant otiosorum momenta; » S. Clementis: « Qui infirmi et imbecilles sunt, iis vel quod mediocre est, supra vires ipsorum videtur; » S. Chrysostomi: « Nihil est tam facile, quod non valde grave et invisum magna pigritia reddat; nec quidquam tam laboriosum et difficile, quod studium et alacritas non facillimum efficiat; » S. Basilii: « Otium maleficium principium; » Democriti: « Natura virtutem corrumpit incuris; improbitatem corrigit doctrina; et facilia negligentibus elabuntur, difficilia vero curis capiuntur; ut enim instrumentum quod remittitur et intenditur, jucunda voluptate oblectat: sic etiam vite ratio hominum et otio et negotio disperdienda; » Xenophonis: « Deus sic statuit, ut illis qui noluit imitari et prescribere sibi honesta facta, alios eis imperantes inducat dominos. »

ET ANIMA DISSOLUTA ESURIET. — « Dissoluta, » id est remissa (hoc enim significat hebraicum *רמייה remia*), pigra, torpida. Alterum hoc est pigritia-

malum, scilicet esurics. Ratio est, quod pigritia parit soporem, sopor otium et inertiam, inertia penuriam et famem. Qui enim noluit laborare, sed otioso torpescunt, nihil lucrantur vel comparant, ex quo vivunt. Vide dicta cap. x, 4.

Hæc quoque locum habet in bonis tam spiritualibus, quam corporalibus. Sicut enim pigritia temporalis parit soporem et penuriam temporalium; sic pigritia spiritualis parit soporem et penuriam honorum spiritualium. Qui enim noluit exercere actus charitatis, misericordie, orationis, pietatis, patientie, etc., hi torporem et soporem quemdam contrahunt, quo ad omne bonum opus fiunt inhabiles et inepti, ac insuper penuriam gratia, consolationem, omniumque donorum spiritualium incurunt. Ita Beda ex S. Gregorio, Hugo, Dionysius et alii. « Piger, ait Beda, appellatur qui recte sentiendo quasi vigilat, quamvis nihil operando torpescat. Sed pigredo inmittit soporem, quia paupis etiam recte sentiendi vigilantia amittitur, dum a bene operandi studio cessatur. »

Quocirca recte Philo apud Antonium in *Melissa*, loco jam citato: « Principium omnis boni, ait, virtutis laborem esse Deus hominibus ostendit; quo remoto nihil boni apud genus humanum consisti potest. Qui laborem fugit, ipsa bona fugit; qui autem toleranter et fortiter sustinet dura, ad beatitudinem festinat. » Præclarus S. Gregorius Nazianzenus ibidem: « Generosa, ait, ingenia ratione quidem moderante et dirigente, magnum habent ad sequendam virtutem momentum. » Et S. Chrysostomus ibidem: « Exiguè tempore, operedilecti ait, elaboremus, ne bonis excedamus eternis. Brevis est temporis labor, at in sæcula multa requies. Ubi major labor, ibi major voluptas. Qui prudentia preditus est, ad laborem non gravate accedit, propter consequentes laborum fructus. »

Denique S. Gregorius hunc locum egregie pertractat, III part. *Pastor*, cap. xvi: « Pigris itaque, ait, intendant, quod sæpe, dum opportune agere que possumus, nolimus, paulo post cum volumus, non valeamus. Ipsa quippe mentis desidia, dum congruo fervore non accenditur, a bonorum desiderio funditus evalescente furtim torpore maclatur. Unde apte per Salomonem dicitur: Pigredo immittit soporem. Piger enim recte sentiendo quasi vigilat, quamvis nihil operando torpescat. Sed pigredo soporem immittere dicitur, quia paupis etiam recte sentiendi vigilantia amittitur, dum a bene operandi studio cessatur. Ubi recte subjungitur: Et anima dissoluta esuriat. Nam quia se ad superiora stringendo non dirigit, oblectat se inferius per desideria expandit; et dum studiorum sublimium vigore non constringitur, cupiditatis infame fame sauciatur; ut quo se per disciplinam ligare dissimulat, eo se esuriens per voluptatum desideria spargat. Hinc ab eodem rursus Salomone scribitur: In desiderijs

est omnis otiosus. Hinc ipsa veritate prædicante, uno quidem exante spiritu multa domus dicitur; sed multiplicibus redeunte, dum vacat, occupatur. »

16. QUI CUSTODIT MANDATUM, CUSTODIT ANIMAM SUAM; QUI AUTEM NEGLIGIT VIAM SUAM, MORIFICABITUR. — Hebraice, *servans præceptum servat animam suam; et qui vias suas* (Vatablus, *officium suum*) *despicit, morietur*; Syrus, *intermetur*; Chaldaeus, *qui spernit viam suam morietur*; Cajetanus, *et contemns vias ejus peribit: ejus, scilicet mandati, q. d. Qui vias, id est directiones et ordinationes mandati contemnit, contemptum hunc luet morte præsentem vel æternam; illam enim inferet ei iudex, hanc Deus. Ita Aben-Ezra: « Mortificabitur, ait, id est morte afficietur, Syrus, immaturato adhuc tempore (in flore ætatis); scribitur autem *מתו ימות*, quia morte muletabitur a iudice, si evulgetur eum prophanam præcepta contempisse. » Sic et R. Levi. Hinc toties in Exodo, Levitico, Numeris et Deuteronomio, Deus legibus suis penam mortis adjicit, eamque prævaricantibus interminatur; vide inæ. *Levi*, cap. xx, ubi singulis pene versibus iis mortem intental.*

Porro etiam vocat mandatum vive legem; hoc enim exigit antithesis (1). Dei enim mandatum est via homini a Deo prescripta, per quam recta ad virtutem, salutem et Deum ipsam continentis animi passibus tendere debet. Ita Auctor *Caten. Grec.*: « Mandata, ait, vocantur præcepta, quia mentem ad præceptum dirigunt et impellunt; via vero, quia hominem ad Deum iter instituentem suaviter ducunt, et quo eundem sit clare illi ostendunt. » Sensus ergo est, q. d. Qui custodit mandatum Dei, vel hominis vice Dei mandantis, hic custodit animam, id est vitam suam, tum presentem, tum æternam; qui autem spernit mandatum, quod quasi viam ad salutem homini præstitit Deus, a morte afficietur presentem a iudice, æterna a Deo. Hoc est quod ait Ecclesiasticus, cap. xv: « Si volueris servare mandata, conservabunt te. » Et Christus, *Math.* xix, 17: « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. » Hinc et Plato dixit: « Lex est liberi hominis anima, » tum quæ lex quasi anima hominem dirigit et impellit ad actionem honestam lege præscriptam, in qua vita homine digna consistit; tum quia, sicut anima abeunte, perit homo, sic lege contempta, perit animus. Lex ergo servat aut perdit animam vitamque hominis, ut proinde recte ejus anima dici queat.

Moraliter, hic debemus legem amare, colere et custodire debeamus, itaque triplici ex causa. *Prima* est ex parte Dei, quia qui amat et colit legem, amat et colit Deum legislatorem. Lex enim

(1) Melius alii viam senem obvio accipiunt: Qui non curat instituta omnia sua et acta componere et revocare ad divina præcepta, si sibi ipse perniciem accessit.

Qua
tana.

Torpore
symbo-
lum
torpede
piscis
et narcis-
sus flos.

Sopor
est
languis.

Primus
dicitur.

Secundus
dicitur.

Tertium.

non est aliud quam ratio, mens et voluntas Dei; a lege enim eterna, quae est in mente Dei, derivatur omnis lex nostra, sicut radius derivatur a sole, et splendor ab igne. Quare qui conformatur se legi, conformatur se rationi et voluntati Dei. Unde Christus: « Si diligitis me, aut, mandata mea servate, » Joan. xiv. 15. *Secundo* est ex parte legis, quia legis obiectum est dictamen virtutis; lex enim praescribit officia virtutum omnium. Si ergo amas virtutem, ama legem. *Tertia*, quam dat hic Salomon, est ex parte nostra, quia qui custodit legem, custodit animam, qui vero eam spernit, spernit animam suam, id est vitam, salutem et felicitatem animae suae. Quantum ergo illam amas, tantum ama et serva legem.

17. FENERATUR DOMINO, QUI MISERETUR PAUPERIS; ET VICISSITUDINEM SUAM REDDET EI, — ut sicut ille miseretur est pauperis, illicque benefecit, sic illius miseretur Deus, illicque benefaciat, ait Aben-Ezra; ac illum sua benedictione cumulet, ut, ad quodcumque manum extenderit, benedictionem rerumque copiam ei tribuat, ait R. Levi. R. Salomon vero: Cum quis eger, inquit, decumbit, in limineque mortis ambulat, tunc elemosyna apud divinam iustitiam intercedit pro liberali, inquit: Cum pauperes animam agent ob famem, hos hic ad vitam revocabat, abunde opportuna suppeditans; cur ergo istius animus longam cum corpore vitae usuram non habeat? ergo membrum non restituitur?

Pro *feneratur* hebraice est *מ ד מהו*, id est mutuatur vel mutuam dat, ut vertit Pagninus, sive simpliciter, sive cum usura, ut patet *Deut.* cap. xxviii. 12 et 44. Sic et Graecum *δανίζω*, ut vertunt Septuaginta, ambiguum est; nam significat ex aequo, et qui citra usuram dat mutuam, et qui ad usuram. Sic et Latinum *fenerari*, etsi proprie significat, dare ad usuram, tamen subinde idem est ac mutuare. Hebraea ergo ad verbum habent, *mutuat Domino, qui miseretur tenuis; et retributionem suam reddet ei; Septuaginta, et secundum donum ejus retribuet ei; Chaldaeus, qui querit commodare Domino, miseretur pauperis, et retributio bona retribuetur ei; Syrus, secundum opera ejus retribuetur; Vatablus, secundum beneficium, vel officium, rependetur ei.* Igitur sensus est, q. d. Qui pauperi benefacit, feneratur, id est mutuam dat Deo, quod amplo cum fœnore et incremento ab ipso est recepturus; quare non tam donum dat quam mutuam, imo usuram et fœnus. Igitur mutuam hic non simplex, sed cum augmento, puta fœnus et usura, intelligitur. Ita Interpretes et Patres mox citandi. Audi S. Basilium in *Psalm.* xxxviii: « Cur, ait, non dixit: Qui miseretur pauperi, dat Deo? novit Scriptura avaritiam nostram, intellexit appetitum nostrum insatiabilem, quibus maioribus ab habendum propositum redundantiam, ac plus semper querere, ob eamque causam non dixit omnino: Qui miseretur pauperi, dat Deo, ut ne simplicem largitionem et retributionem sor-

tis existimes; sed: Feneratur Deo, ut avarus et lucri cupidus, auditio usurarum nomine, seipsam misericordiae dederet. »

Salomon ergo ut declarat vim elemosynae, quantumque Deo placeat, assertit Deum aestimare sibi datum quod datur pauperi, ac quasi se obligare, ut illud danti restituat cum magno sortis incremento, usura et lucro: Deus enim pauperes et miseros, utpote omni ope destitutos, sibi arrogat, et quasi providentiae suae filios adoptat, ac eorum saepe peculiariter Deum et curatorem in Scriptura indigitat. Unde ipsa ait *Math.* xxv: « Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, » q. d. Me debitorem agnosco. Hoc ergo fœnus, haec usura beneficentiae sancta est et divina, aequae ac fructuosissima, atque longe fructum lucrumque usurariorum superat. *Primo* enim, si dignitatem et nobilitatem debitoris requiris, per hoc elemosynae fœnus debitorem nobis facimus non hominem pauperem et vilem, sed Deum ipsum nobilissimum et divinum. Quanti est sibi obligare Deum, cumque sua fideiussione quasi vadimonio tibi obstrictum detinere? Audi S. Ambrosium, *lib. 10. De Tobia*, cap. xvi: « Dosebo, ait, quomodo homini feneratoris esse possitis, quomodo bonas avaritias usuras. Dicit Salomon: Fenerat Domino qui miseretur pauperi, secundum datum autem jus retribuet ei. Ecce bonum fœnus de malo factum est, ecce irreprehensibilis fenerator, ecce usura laudabilis. Nolite ergo iam invidenter me vestris committis aestimare. Putatis quod hominem subtraham vobis debitorem? Deum provido, Christum subrogo, illum demonstro qui vos fraudare non possit. Fenerate ergo Domino pecuniam vestram in manu pauperis. Ille adstringit et tenetur, ille scribit quidquid egenus acceperit; Evangelium ejus cautio est. Ille promittit pro omnibus indigentibus, ille dicit fidem. Quid dubitatis dare? Si quis vobis dives hujus saeculi offeratur, qui fide promittat sua pro aliquo debitore, statim numeratis pecuniam. Pauper est vobis Dominus caeli, et conditor mundi hujus? et adhuc deliberatis, quem ditorem queratis fideiussorem? » Et S. Gregorius Nazianzenus in *Tetrast.*:

Lavori et atra dome quid robigit,
Ac debitorem praeter omnibus Deum,
Fœnus rependit septera qui caelestia;
Alis legesque, pauperes pascens, Deum.

Secundo, usurarius ultra sortem accipit, j usurae et lucri, sortis duntaxat vigesimam partem, v. g. Si mutuatur centum aureos, recipit eum et quinque: Deus eam sortem duplicat, imo centupliat. Hoc est enim centuplum a Christo promissum illis qui se sectantes sua distribuunt in pauperes, *Math.* xix. 29. Unde S. Chrysostomus, *hom. 3 in Gen.*: « Qui miseretur, ait, pauperi, feneratur Deo. Vide usurae raram naturam et admirabilem. Alius est qui accipit, et alius qui se dandi fœnoris reum facit; et non hoc solum

merces; sed quis in hoc usurae genere non est hinc ingrati, neque ulli alii damno; neque sicut hic, semel dare qui pollicetur, sed centupla dantur, et non solum centupla; nam aliqua dantur in praesenti vita, aliqua in futura, nempe vita eterna. Et in praesenti quidem vita, si quis nobis dantur duplicia pollicetur pro his quae a nobis dantur, parati essemus illi omnem nostram substantiam afferre. Tametsi tibi magna ingrati, et stulti et stupendae avarorum fraudes; et multi qui boni habentur fœnus non solvunt, vel ob insolentiam volentes, vel sepe et propter inopiam non valentes. Quoniam autem nihil tale omnino Domino imputari potest (nam et capitalis summa in tuto est, et centuplum hic promittitur elemosynam expenditibus, et in futurum vita aeterna reponitur), quae igitur nobis defensio est, si negligentes fuerimus, et non festinaverimus centupla pro paucis accipere, et pro praesentibus futura, et pro temporalibus eterna? »

Fœnus idipsum ostendit idem S. Chrysostomus, *hom. 53 ad Populum*, ubi inter alia incausat divitum insipientiam, qui Deum centuplum promittentem dimittunt, et opes suas ite tradunt qui ne sciam quidem reddent: « Quid enim, ait, nobis vultis reddi, qui plurima consumitis? stercus et corruptionem. Quid inanis gloria? livorem et invidiam. Quid avaritia? curam et sollicitudinem. Quid intemperantia? gehennam et veneniferum venenum. Hi namque sunt divitem debitores, has scilicet jungentes usuram, praesentia mala poenasque futuras. His ergo, quæso, ad tantam mutualibus libentiam, et nostra Christo non credemus coelum praesentem, eternam vitam et arcana bona? » Si excuses: Christus post longum tempus differt solutionem hujus usurae, occurrit Chrysostomus: « Hoc tibi talentum multiplicat. Fœnus enim efficitur majus; nam in mutuando hoc facere videmus feneratoris, qui post multum temporis reddentibus libentius fenerantur: qui namque statim totum reddidit, usurae cursum interruptit; qui vero diu retinet, majorem facit usurae fructum ac quantum. »

Tertio, quod Deus bis solvit hoc fœnus, scilicet semel in terra, secundo in caelo. In terra enim elemosynariis multiplicat opes, uti docet Apostolus, *II Corinth.* ix. 10, et S. Chrysostomus, *hom. Quod elemosyna est ars omnium quaestuosissima.* Ipsi constat vigi experientia. Exemplum illustre est in Vita S. Joannis Elemosynarii, qui quo plus erogabat in pauperes, eo duplo et triplo amplius recipiebat. In caelo vero longe plura et majora rependit Deus. Unde S. Gaudentius, *serm. 13*: « Qui miseretur pauperi, Deo feneratur. Recipit enim, inquit, magna pro modicis, et caelestia pro terrenis. » Et S. Ambrosius, *lib. 10. Jan. dilato*. « Non perit, inquit, quod pauper accepit, et vobis quod dederitis inopi sine custode servabitur. Quod si necessarium usurarum queritis, in lege benedictio, in Evangelio caelestis est

merces: quid suavius benedictione? quid majus est caelo? Si escurum desideratur usura, ea quoque praesto est, sicuti legitimus. Is enim qui miseretur pauperum, ipse pasceatur. » Vide et S. Chrysostomum, *hom. 15 in Matthewan.*

Quarto, quod usurarius tam sortem quam usuram exponit perpendi periculo. Si enim debitor non sit solvendo, vel noli solvere usuras, utpote injustas et extortas, curarius perdet eas. Incertum ergo et anceps est ejus lucrum, aequae ac sors. At elemosynarius securum et certum apud Deum repositum habet cum sorte lucrum. Quocirca sapiens consilium suggerit S. Basilium, *hom. 8 in Divites avaros*: « Si, inquit, unus tantum tibi sit panis, ad fores autem rogator adsit, deprime illum; dans vero manus in caelum tolle, dicque miserabilia haec et benigna verba: Unum hunc panem habeo, quem vides, Domine; et occasio periculi est. Ast praecipuum tunc mihi propono, et de modico do fratri esurienti. Da et tu, Domine, periclitanti servo tuo. Novi tuam bonitatem, tuae potentiae confido, quod non diu tuam gratiam differes; sed brevi, cum tibi placebit, affatum dona tuae magnificentiae patebit. Quod si ad hunc modum feceris et dixeris, non dubium quin panis hic quem in hac dabis angustia, agriculturæ semen ac copiam suppedabit, multumque tibi ex terra fœnoris reddet, arribo cibi futuri, misericordiae conciliator. Dic rursus illud gloriæ mulieris verbum, quod maxime huic proposito quadrat, opportuna historiae illius memor: Vivit Dominus, quod hunc solum in domo habeo, quem ego et filii mei edamus. Tu quoque similiter olei lecythum gratia Dei refertum habebis, nec minus farinae hydriam continuo plenam, si ex eo quod habes dederis. Qui enim dando divine gratiae confidunt, puteos imitantur, qui continuo exhausti minime deficiunt, sed duplo copiosiores evadunt. Si ego, Deo diviti fac fœnore: crede, inquam, illi qui quod afflicto datur, perpetuo quasi suae personae datum amplectitur, et de suo reddit dignus ubique fideiussor, terra marique aptos habens thesauros. Quod si navigas, mutuam repetes. In medio moris sortem cum fœnore capies. Magnificus enim est in dando fœnore. »

Igitur « si vis fenerari, fenerare Deo. » Deus enim assecurat tibi sortem et ingens ejus lucrum, dum semetipsum in hypothecam dat, et promissionem suam pro cautione. Ita S. Chrysostomus, in *Psalm.* xxxviii: « Medium, inquit, se et quasi soquestem praestitit pauperi quidem sponsorem, pignus autem vel hypothecam creditoris. Non habeo, inquit, hile fidem propter inopiam; mihi credo propter copiam. Qui miseretur pauperis, feneratur Deo. Ne time, inquit, mihi fœnoraris. » Et S. Augustinus, in *Psalm.* xxxvi: « Cum autem pauper orat pro se, tanquam Deo dicit: Domine, mutuam accipi, fide die pro me proinde; et si non tenes pauperem creditorem, sed idoneum

tenes fideiussorem. Ecce Deus de Scriptura sua dicit: Da, securus esto, reddam. »

Quinto, accipiens pecuniam ad usuram ingens ex ea accipit commodum, ob quod ad usuram se obligat. Deus autem nihil ex elemosyna utilitatis accipit, « ad omnia opus nostrum illi est sterile et infocundum; et tamen pro eo promissione sua se obstringit ad solvendam ingentem ejus usuram, quae ingens ejus est dignatio et liberalitas. Ita S. Irenaeus, lib. VI *Contra haeres.* cap. xxxiv: « Qui miseretur, inquit, pauperis, feneratorur Deo; qui enim nullius indigens est Deus, in se assumit bonas operationes nostras ad hoc, ut praestet nobis retributionem bonorum suorum. » Et S. Basilus, in *Psalm.* xiv, serm. 2 *Contra feneratores*: « Quando pauperi, inquit, das in Domini gratiam, idem ipsum et donum et fœnus est: donum quidem, quod a paupere non speres te recepturum; mutuum vero sive fœnus, ob Domini munificam liberalitatem, qui parva per pauperem cum acceperit, magna pro illis retribuit. Non vis universorum Dominum tibi ad exsolutionem auctoritatem habere? Si quis in civitate dives tibi pro aliis spondeat, fidusjionem illius accipis; Deum vero non admittis, tanto se plura persoliturum pauperum causa pollicentem? »

Sexto, quod is qui accipit ad usuram, usurario solum se obligat ad solvendam usuram, non autem sese obstringit ad alendas vel ditandas ejus proles, uxorem et familiam. Utrumque autem elemosinario praestat Deus. Unde S. Cyprianus, tract. *De Opere et Elemosyna*: « Qui miseretur, inquit, pauperis, fenerator Deo; » ac deinde obiciens sibi excusationem divitum quae obtundunt se prolibus et familiae debere providere, ideoque non posse dare elemosynam, respondet: « Illi, inquit, assigna facultates tuas, quas hereditibus servas; ille sit liberis tuis tutor, ille curator, ille contra omnes injurias saeculares livina majestate protector. Patrimonium Deo creditum nec republica eripit, nec fiscus invadit, nec calumnia alicujus forensis evertit; in tuto est hereditas, quae Deo custode servatur. Hoc est curis pignorum in posterum providere, hoc est futuris hereditibus paterna pietate consulere, secundum fidem Scripturae sanctae dicentis: Junior fui, etenim senii, et non vidi justum derelictum, neque semen ejus egens pane. Tota die miseretur et fenerator, et semen ejus in benedictione erit. » Et S. Chrysostomus, homil. 7 in *psal.* ad Romanos: « Itaque, inquit, si liberis tuis magnas opes relinquere vis, Dei providentiae relinquit. Nam cum ille liberorum tuorum facultates una cum ipsis liberis sibi impertiri viderit, nonne illis divitias omnes adpariet? » Et post nonnulla: « Quapropter si illos extra periculum relinquere vis divites, relinquit illis Deum debitorem, ipsique Deo has testamentarias tabulas porrigito. »

Septimo, quod usurarius pecuniam dat suam, non alienam; et elemosinarius dans elemosy-

nam non dat de suo, sed ex eo quod Dei est, quodque a Deo accipit; et tamen Deus poscens ab eo ut per pauperem tibi reddat suum quod dedit, insuper pro eo spondet fœnus: pro veteri ergo credito novum spondet debitum. Unde S. Basilus, citatus a Damasceno, lib. II *Paral.* cap. xvi: « Qui tibi, inquit, dedit opes, per pauperem manus elemosynam a te petit; fenerator ergo Deo, quia licet ipse quae sua sunt accipiat, tamen perinde ac si beneficio affectus fuisset, integram gratiam persolvit. » Porro hoc credito et debito suo mire oblectatur Deus, aetque fieri nobis debitor, uti docet S. Chrysostomus, homil. 15 in *Math.* Imo idem S. Chrysostomus ait Deum sinere quasi se corrumpi hoc elemosynae credito, ut in judicio debita et peccata nostra dissimulet, non videat et condonet: sicut iudex a reo pecunia corrumpitur, ut eum non damnet, sed absolvat. Sic enim scribit in cap. xxi *Luca*: « Iudex noster per pauperes corrumpitur. Fac ergo per pauperis manum iudicis posticum pulses; etenim ille munera tua per eam accipit, ac leges adulterat. Accipit, inquam, atque ex justo benignus efficitur; accipit, inquam, et veritatis misericordiam anteponit, ac cum peccatorum lance pauperum manum contra perpendit. » At rursus, homil. in *Psal.* xxxviii: « Si Deus a nobis fœnori capiti, ergo noster est debitor; utrum ergo eum habere vis iudicem, an debitorem? Debitor creditorem veretur, iudex eum qui in iudicium adducitur, non veretur. »

Hic ergo ingentes sunt stimuli ad exeroendam elemosynam, tum corporalem, tum spirituales, quae quanto corporali est dignior et major, tanto majus a Deo tum opum, tum gratiae et gloriae fœnus recipiet. Vide S. Paulinum, epist. ad *Alethium*, tam ipsius, quam Rufinae uxoris, quae filia erat S. Pauli, elemosynas celebrantem. Unde ita concludit: « Pretiosa Domino anima, quae de rebus pretium margaritae caput. Est enim conjux fidelis, soror virginitatis, filia perfectionis, cui Paulamatar, soror Eustochium, tu maritus. » Et epist. sequenti de *Gazophylacio*, ubi inter caetera adhortando ait: « Excitemus ergo nos ab inertia somno, et velut negligentiae torporem discutamus, et avaritiae vincula rumpamus. Consule ipsa veritatis oracula, et respondebit tibi Propheta: Qui miseretur pauperis, Deum fenerator. Coelestis iugum trapezite haec mensa est, thesaurum vitis struens, et ad margaritam negotiandam Dei fœnus exercens; qui enim feneratorur pauperes Domini, praestolatur a Domino Deo retributionem mercedis aeternae. »

Illustre est exemplum in *Prato spirit.* Joannis Moschi, cap. cxcv, de Evagrio philosopho, qui audiens a Synesio Episcopo hanc gomen Salomonis: « Feneratorur Domino, qui miseretur pauperis, » dedit ei pecunias erogandas in pauperes, postpositae ab eo ehirographum, quod promitteret sibi eas in illa vita cum honore reddendas;

quod et moriens secum sepeliri jussit; ac post mortem apprensus Synesio, jussit ut illud reciperet, sibi enim abunde satisfactum esse. Porro in chirographo subscriptum invenerunt: « Ego Evagrius philosophus tibi S. D. Synesio Episcopo salutem. Accipi debili tui in his litteris manu tua conscriptum, satisfactumque mihi est, et nullum habeo contra te jus propter aurum quod dedi tibi, et per te Christo Deo Salvatori nostro. »

18. ERUDI FILIUM TUUM, NE DESPERES; AD INTERFECTIONEM ACTEM EJUS NE PONAS ANIMAM TUAM. — Hebraice, *castiga filium tuum, quia est spes* (correctionis), et ad *occisionem ejus ne leves animam tuam*; Chaldaeus, et ad *mortem ejus ne extollas animam tuam*; Septuaginta, *erudi filium tuum; sic enim erit tuum; id est bona spes; ad contumeliam autem ejus ne elevetis animo tuo*; Vatablus, *castiga filium tuum, dum spes superest; et ad clamorem illius ne advertas animam, q. d.* « Sine eum clamare, et ne desinas castigare; » sic et Cajetanus; qui pro *המיתו hamito*, id est *interfectionem ejus*, alii punctis legunt *המיתו hemito*, id est *tuultum, fremitum et clamorem ejus*; *המה hama* enim significat streperem, clamare, tumultuari. Sic et Pagninus in *Lexico*: « Ad sonitum ejus, inquit, id est ad fletum ejus, ne apponas cor tuum, q. d. Ne audiens eum ejulantem ex commiseratione parcas, manumque inhibeas, sed pergas castigare, donec vitium extindas (1). »

Sensus planus est, q. d. Ne cesses erudire, id est bonis moribus et disciplinis informare, corrumpere et castigare filium tuum; esto enim sit hebetior, durior vel protervior, tamen de ejus correctione et probitate ne desperes, ut eruditionem et castigationem omittas; qui enim hodie non instruitur, nec corrigitur, cras insituetur et corrigetur. Discipline enim et etati puerili suum dandum est tempus; et nullum vitium ita pertinax est, praesertim in puero, quin eruditione et castigatione, si ea constans et continua sit, extirpetur et eradatur. Unde Septuaginta vertunt, *erudi filium tuum, sic enim erit bona spes*; Hebraea et Chaldaea, *quia est spes*, ut per instructionem et castigationem filius evadat eruditus et probus, ideoque longevus, ait *Aben-Ezra, q. d.* In castigatione sita est tota spes probitatis filii; si vero eam negligis, ac fides omnia indulges, tollis omnem spem virtutis et salutis ipsius.

Alii Jansenius explicat *ne desperes, q. d.* Erudi filium tuum, ne, si eum non erudias, sed illi frena laxes, de ejus correctione diffidas, ac de ejus probitate et salute desperes. « Ad interfectionem autem ne apponas animam tuam, » q. d. Ne eum desperatione quasi inutilem, imo probro-

sum et noxium interficias. Salazar vero, q. d. Ne tibi in animum veniat ut tibi persuadens filium interficiendum, si eum durius educes, increpes et castiges; nam severior educatio filios facit vitales, vegetos et fortes, ut docet S. Ambrosius, lib. V *Hexamer.* xiii, exemplo aleyonis avis, quae juxta mare media hieme pullos excudit, et nudos exponendo frigori, mari et ventis, dure educat. Verum quia non dicitur *non ponas* in futuro, sed *ne ponas* in optativo vel imperativo, hinc prior explicatio genuina est. Igitur jus patriae potestatis extendit se ad hereditatem et libertatem, non autem ad vitam. Potest enim parens filium perversum et rebellem exheredare, potest et eumdem in casu extreme necessitatis in servum vendere, non tamen potest ei vitam adimere.

Ratio physica a priori est, quod parens non potest filio adimere id quod ei non dedit; atqui non dedit ei animam et vitam: anima enim rationalis a solo Deo creator, et creandoinfunditur. Ergo non potest illam ei adimere, sed solus Deus, qui illam creavit, et creandoinfundit, ac proinde solus in illam habet jus necis et vitae. Secus est in aliis animalibus, quorum animae sicut ex traditae. Nam bos, v. g., generando bovem communicat ei non tantum corpus, sed et animam ac vitam; sicut enim lux candele producit lucem, accenditque aliam candelam: sic anima bovis vel vaccae producit animam vituli. Hinc fit ut jus plenum in fetus animalia caetera usurpent, ac obinde eos vita privent, uti aquila, ciconia, etc., filios degeneres praecipitant et occidunt. Quocirca modeste *Ben-Syra, Alphabeto A* littera *Beth*: « Filium, inquit, non filium (id est filium rebellem, qui se non gerit ut filium, et perversum) sine ut in aquae summo remiget; » quia saepe remus emendat quos non potuit paterna castigatio.

Inhumani ergo sunt Japonenses, similesque Barbarae gentes, qui sibi fas putant filios, quos alere nequeunt, occidere; quod saepius censeant illos mori, quam vitam pauperem miseramque agere. Unde noster S. Franciscus Xavierius, veniens in Japonem, Bernardum Japonem haec de causa mortis a parente destinatum eripuit, eique vice patris exstitit alendo, et erudiendo eum tam ad vitam praesentem quam aeternam. Impli pariter fuere Carthaginenses, qui filios suos mactabant ut sacrificarent eos Saturno, lesse Platone in *Minoo*; et Judaei, qui filios suos concremabant idolo Moloch, ut dixi *Levit.* xviii, 21. Barbari etiam fuere Persae, de quibus scribit Aristoteles, lib. VIII *Ethic.* cap. x: « Apud Persas patris imperium tyrannicum est, qui ut servis filii suis ulturnt. » Porro Plato, lib. VII *De Legibus*, docet in educatione filiorum cavenda esse duo extrema, scilicet delicias et nimiam severitatem, quod illis dissolvatur animus, haec fiat servilis: « Haec, inquit, nostra est sententia, delicias puerorum mores reddere difficles, morosos, iracundos, et qui levibus occasionibus vis vehementer per-

Ratio a priori, cur non liceat patri filium occidit.

Barbarae gentes, qui sibi fas putant filios occidere.

(1) Hebr. est, *castiga filium tuum, dum spes est, dum corrigi potest; sed ne in animum induceris eum necare, quasi de eo corrigendo desperes.* Phrasis, *ne altolias animam tuam*, significat: ne appetas, vel desiderium tuum illuc tendere potueris: vidi. *Deut.* xxiv, 15; *Ps.* xxiv, 4; xxv, 7; *Jerem.* xxii, 27.

cellantur. Contra vero nimiam et feram severitatem eorumdem mores reddere humiles, illiberales, ab humanae societatis commerciis abhorrentes. Et mox mediocritatem inculcans, assertit « rectam vivendi rationem ita esse constitutam, ut neque voluptates tantum persequatur, neque a doloribus omnino abhorreat, sed medium quoddam amplectatur; quod medium ego nunc tranquillum peccatumque habitum vocabam. »

Porro Septuaginta pro *interfectionem* vertunt *ἁμαρτία*, quod primo veritas, immemor probitas, protervia, insolentia, fastus, prociacia, q. d. Noli ponere animam, id est ne consideres, nec cures quod filius sit improbius, protervior, prociacior, ut ob id eum castigare omittas, quasi desperans de ejus emendatione; imo vero eo magis eum castiga, et flagella flagellis adde, donec hanc ejus proterviam et improbitatem sternas et contundas: sicut equi petulci et feroces tandem calcaribus urgendi sunt, donec ferociam ponant, et a sessore se regi sinant.

Secundo, *ἁμαρτία* veritas vituperium, contumelia, q. d. Castiga filium mente quieta et sedata; at noli ex ira eum probris et contumeliis proscindere, ne vel in desperationem ruat, vel in proterviam, ac pudorem et reverentiam exuens, contumeliam contumeliae regerat, ac verba verbis, quin et verbera verberibus reponat. Unde Apostolus, *Coloss. iii. 1* « Patres, inquit, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant. » Servilis enim educatio facit filios serviles, id est timidos et pusillanimes, ac S. Chrysostomus ibidem, Unde Auctor *Catech. Graec.* vertit, *erudi filium tuum, et frangi bonaeque spei vir evadet; animo autem ne in insolentiam te efferas, ut filium superbe et insolenter increpare et si rnerere velis. Et Syrus, ad opprobrium ejus ne adjuviam animam tuam.* Cum enim filio improperas, tibi ipsi improperas; dedecus enim filii est dedecus patris. Hinc S. Gregorius Nazianzenus in Carmine ad *Vital.* docet, patres debere moderate castigare filios, eo quod nimia objuratio variat impudentiam, quae mater est scelerum. Sic enim canit:

Ne tenerum abruptat reprehensio dura pudorem,
Auxilium patribus quo aeternam firmis usquam est,
Probra etenim effrontes faciunt, bonitatis modestos
Et venia, ac matris p. asertim laudis amantes, etc.

Tertio, *ἁμαρτία* est vis illata, severitas, ferocia, deliramentum, injuria in corpus, q. d. Castiga filium, at noli ei inficere vim, ut in eum servias, cum ledas, multes, interficias, ut vertit Noster.

Quarto, Aben Ezra injuriam et *interfectionem* accipit non passivam, quam scilicet filius patitur a patre saviente, sed activam, quam scilicet filius *ἁμαρτίας* sibi infligit. Unde sic exponit, q. d. Erudi filium, quia est spes; sperandum enim est, cum illum castigaveris, ad diuturnum tempus vitam produclurum. « Ad interfectionem ejus

(qua caetero morti dedit), ne ponas animam tuam, » nimirum ei consentiendo, ut ex ejus praeda nutriaris. Aut « ad interfectionem ejus ne ponas animam tuam, » q. d. Cum filius tuus alium interfecerit, tu, o pater, illum interficisti, quia filium non castigando eique indulgendo in sceleribus et credibus cum aluisti.

Huc facit historia vel apologus pueri et matris apud Aesopum: « Puer, inquit, ex literario ludo condiscipuli librum furatus tulit matri. Cum ea vero non corripisset, se r potius amplexata fuisset, proventus etate corp et majora furari. In ipso autem furio aliquando deprehensus, ductabatur recta ad mortem. A se sequente et lugente matre, ille carnifices orabat, ut pauca quaedam matri colloqueretur in aurem. Quae cum illico ori filii se admovisset, ille aurem denubis demorsis abscedit. Matre autem et aliis accensibus, quia non solum furatus sit, sed jam et in matrem impius esset, ille ait: Hec enim mihi perditionis fuit causa. Si enim cum librum furatus eram, me corripuisset, non ad haec usque progressus nunc duccerer ad mortem. » Affabulatio: « Fabula significat eorum, qui non in principio puniuntur, in majus augeri mala. »

Verum praecedentes expositiones germaniores sunt, ac tertia plane consentit Vulgata. Interfectio enim hic filii non activa, sed passiva, quae scilicet interficitur a patre, intelligitur. Unde et Hebraea sic plane cum Pagnino veritas, et ad *interfectionem eum ne eleves animam tuam.* Hoc enim est immane parricidium superans communes animae conceptus, destinationes et machinationes. Unde ad illud velut exorbitans oportet levare, et vi attolli animam patris parricide, ut naturalem animae pietatem et amorem in filium severitatem inhumana superet et transcendat. De filiorum castigatione plura dixi *Eclii. xxx. 1* et seq.

Loquitur Salomon de interfectione quae propria auctoritate fit, non quae publica. Nam *Deuter. cap. xxi. 20*, jubetur vel permittitur parentibus ut filium inobedientem, epuloem, protervum duceant ad iudices, qui eum lapidari decernant; et tamen hoc ipsum parentis est probrum et damnium. Unde de Junio Bruto primo consule Romae, qui Tarquinius et reges urbe expulsi, ac filios Tarquinius faventes securi percuti jussit, ita occinit Virgilius, lib. VI *Aeneidos*:

Consulis imperium hic primus servasse secures
Accipiet, natosque pater nova bella moventes
Ad poenam pulchra pro libertate vocabit.
Infelix, utinamque ferent ea fata minores.
Vincet amor patriae, laudantque immensa cupido.

19. QUI IMPATIENS EST, SUSTINET DAMNUM; ET CUM RAPUERIT, ALIUD APPONET. — Hebraice, *magnum ira sustinet multam; quia si eripueris (eum), adhuc tamen addet*, supple ira effervescere, consequenter et multa, q. d. Qui prociivus est ad iram, in penas et damna incurret, ac haec ex una libera-

tur, iterum effervescens ira in alia eaque majora temere se conjiciet. Hic versus accipi potest ut connexus praecedenti, quasi ejus det causam. Unde Complutenses et alii nonnulli addunt particulam causalem *enim*: « Qui enim impatiens est, » etc. Igitur Valabius sic vertit et explicat, *si nimium severus fueris* (in castigando filium, eum vulnerando vel interficiendo), *damnum accipies; si liberus, rursus addes. Cajetanus, grandis (grandem faciens) iram, sustinet panam; quia si facies evadere, adhuc addes.* Idque sic explicat, q. d. Qui filium iracundius usque ad morbum vel mortem castigat, non tam filium quam seipsum plecit, quia privat se filio unice dilecto, itaque sibi perpetuum dolorem et moerorem, ac Dei vindictis, quia et saepe hominis iudicis, vindictam accersit. « Quia si facies evadere, adhuc addes, » q. d. Si moderate castiges filium, ut ex castigatione salvis intergreque evadat, adhuc licebit alias eum instruere et castigare, ut quod prius non didicit, posterius discat. Unde Pagninus plane vertit, *magnum ira addit poenam; quia si erueris eum, adhuc addes castigare.* Aben-Ezra vero sic explicat, q. d. Sine filium iracundum irasci et furere, ut ila det penas sicut peccato se obstrinxit. Iugiter vero eum liberare studeas; cum enim senel illum incolumem praestiteris, necesse erit ut alias sepe ad eum eripiendum labores, quia in iram proceps in alias lites et rixas nosaque irruet, praesertim quia confidit se rursus a patre liberatum iri (1).

Verum esto occasione castigationis filii *versu* praecedenti sancite haec sententia ingeratur, ad eamque referri possit, tamen generalis est, et ad quamvis iracundiam et impatientiam extendenda est. Nam particulam *enim* non habent Hebraea, nec Graeca, nec Latina Romana. Unde primo, R. Salomon sic explicat, q. d. Qui nimius est in ira dabit penas: quod si ira edomita hostem tuum imminenti discrimini subtraxeris, adhuc addes dies et bona. Secundo, melius R. Levi: Qui modum, inquit, irarum excedit non evadet, quin abjecte hujus consuetudinalis penas solvat: nam eum hac ratione jurgia inter mortales excitet, si aliquando ob iram servatus sit, quod qui hunc appetebat timore percussus sit, immoderatam ejus aetum contemplatus, irae tamen assuescet, rursumque in alios exardescet, ut denique quispian existat qui in hunc insurgat et mactet;

(1) Rosenmullerus, *vars* (legit *נורר*, translata *scilicet* significatione) *eccandescens* est accipere, vel, ut accipiens quis sit *panam*; etiamsi eripueris illum, ad iracundiam pronum, et adhuc addes, id est ales illius iracundiam; vel addet, *sen perget* ira ejus. Maurer, *ira proceps*, vel *properus* (legit *נורר*, radicem autem *נורר* eodem fere sensu accipit ac *נורר* *scilicet*, *viere*) *tuit panam*, id est luat *panam*; nam, si eripueris, impenitum evadere sineris, iterum facies, denovo necesse habebis sinero evadere, quippe mox relapsurum. — Quod *keri* legi jubet, emendatio videtur verbi non intellecti.

atque hic prava hujusmodi institutione calamitatis sibi opifex erit.

Nota: Pro *cum rapuerit* hebraice est *תפס* *tatsil*, quod R. Levi, Pagninus et alii vertunt, *si libera-veris*, si eripueris; et Theodotion, *homo magna ira*, inquit, *multabitur; quoniam si eripueris, adhuc adjacet.* Noster tamen vertit, *cum rapuerit*; et Septuaginta *ἴν τὴν ἰσχυράν*, id est *si vastaverit*, corruerit. Radix enim *נצח* *tatsil*, id est liberare, subinde significat rapere, diripere, spoliare, ut patet *Genes. xxxi. 9* et *16*; *Exodi iii. 22*, et *II Paralip. xx. 24* et *25*. Rursus *tatsil* et *תפס* *tosiph*, id est *addet*, sunt futuri temporis, et significant tam secundam personam masculinam, q. d. Cum tu, o impatiens, aliquid rapueris, addes damnum; et quam tertiam femininam, scilicet: « Cum rapuerit, addet, » ut respiciat *חמה* *chama*, id est iram quae praecessit, q. d. Magnus ira sustinetit damnum, et cum ira ejus quid rapuerit, aliud damnum addet. Sic utraque expositio eodem redit, uti recte advertit Baynus. Unde Noster sensum plene reddidit dicens: « Cum rapuerit, » scilicet quispian impatiens praepat impatientia et ira (haec enim in se includit impatiens) « aliud addet, » scilicet damnum quod praecessit.

Jam *cum rapuerit* varii varie explicant. Primo, aliqui suppleunt pronomen se, id est, cum impatiens se abripuerit et liberaverit aut uno damno, relapsus in impatientiam, aliud sibi accerset. Simili phrasi ait Horatius, lib. II *Serm. satyr. 7*:

Ocius hinc te
Ni rapis, accedes opera, o nona Sabina.

Et Ovidius, de vacca, *Fragmento 6*:

Illic se rapuit, gregibusque immiscuit illis.

Secundo, Jansenius: « Cum rapuerit, inquit, hoc est, cum raptum tulerit et reportavit unum damnum, mox in alium incurret. Sic Horatius, lib. II *Serm. satyr. 5*, ait:

Sic tamen ut linis rapis, quid prima secundo
Cera velit versu,

id est, obliquis oculis raptum legas. Simili enim modo ira raptim inferens noxam alicui, raptim vicissim similem sibi accersit.

Rursus *rapere* est raptim ac festinanter ducere. Unde Plinius in *Panegy. Trajani*: « P. r. hoc omne spatium, inquit, cum legiones duceres, vel potius (tanta velocitas erat) raperes, non vehiculum unquam, non equum respexisti. » Sic impatiens per impatientiam rapit, id est, raptim damnum illis irrogans, idem in se conicit et abripit.

Tertio et proprie, *rapere* est vel vim aut cum festinantia, sive cum ira per furor trahere, eveltere, auferre; hi enim eunt effectus irae et impatientiae. Ejus ergo proprium est rapere, id est trahere et raptare eum cui irascitur, eique vel pilos, vel vestes, vel pecunias, vel libertatem, vel sanitatem, vel vitam auferre.

Sensus ergo est, *q. d.* Qui impatiens est sive in mstruendo et corrigendo filium, sive in paupertate, morbo, contumeliis aut qualibet alia adversitate toleranda, hic sustinebit damnum, quia tum seipsum pace mentis privat, et impatientia sua seipsum cruciat: tum aliis per suas querelas, iras et rixas ingentem creat molestiam, eosque contra se concitat; at si impatientie sue indulgens alterum rapit, trahit et vellicet, aut ei vestem, famam, pecuniam vel sanitatem et vitam auferat (v. *g.* veneno aut verberibus interficiendo filium, uti processit), tunc ulique longe majora damna sibi accerset, tunc necis a Deo vel iudice infligende sibi accerset. Ita Dionysius Carthusianus: « Qui impatiens est, inquit, id est, ex filii sui peccato ad impatientiam concitatur, siquae illum impetuose redarguit, sustinebit damnum, quia seipsum graviter ledit in anima, et subditum magis exasperat, scandalizat, perturbat, quam snet. Ideo ait Apostolus: Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant; sed educate illos in disciplina et correptione Domini. Hinc asserit Augustinus: Quidquid lacero animo dixeris, puniens est impetus, non charitas corrigentis. Et Prosper: Leviter castigatus exhibet reverentiam castiganti, asperitate autem minie increpationis offensus, nec increpationem, nec salutem recipit; et cum rapuerit, id est aliquem violententer tractaverit, aut alteri sua subtraxerit, aliud apponet, id est majus damnum incurrit. Taliter igitur studeamus delinquentem curare in anima, ut non per iram, impatientiam, aut alio modo ledamus aut perimamus propria corda, cum dicat Salvator: Quid proficit homo si lucretur universum mundum, se autem ipsum perimat, et detrimentum sui faciat? »

Huc accedunt Septuaginta, qui vertunt *καταφρονω*, id est *vir male mentis, insanus, impatiens, mala cogitans et machinans, multa damna patietur, q. d.* Impatiens qui mala aliis vult et optat, eadem sibi creat, eademque tacite sibi vult et optat. Lex enim talionis est, quod alteri feceris, mereris ut idem tibi fiat. Si autem *καταφρονω* vel *λασάρω*, et *ανίμων* suam addet, *q. d.* Si autem impatientia ejus in actum externum proruperit, alioque vel in fama, vel in opibus, vel in corpore inserit, tunc sane graviora damna subibit; reddetur enim ei talio, ut oculum dei pro oculo, dentem pro dente, animam, id est vitam suam, pro anima, id est vita quam alteri eripuit, ac proprie animam suam ob injuriam proximo illatam eternae damnationi et morti obligat. Ita Auctor *Catena Graecor.*: « Mentis pravitas, inquit, per se minore poena mulcetur, majori vero, si in opus externum exeat. » Et Chaldaicus, *vir iracundus*, inquit, *suscipiet poenam*, id est, iracundie sue illico damnationem; et quando exaltatur, super onus suum addit, *q. d.* Si ira excresecat, et in noxam necemve

alterius ruat, utique majoris supplicii onus et debitum sibi concitat.

Hec est generalis et adequata hujus sententiae expositio, sub qua particulatim ad varias impatientie species pariter et damna descendere licet. Unde Beda eam explicat et appropiat, *primo*, correptioni mananti ex animo impatiens; *secundo*, furto et rapina. « Si enim duritia, inquit, contradicentis fratris quem erudire cogisti, provocatus ipse in impatientie vitium labaris, damnatum profecto tuae virtutis incurris; et cum illi durius forte increpando, spem, promerenda salutis agendaque penitentiae quam habuerat, rapueris, rationem pro eo quod fratrem scandalizasti, districto iudici reddes. Patet littere sensus, quia qui per impatientiam inopia, furto servit, aut rapinis, damnum suo anime facit; et cum rem proximi tollit, etsi non homini pro hoc, certe eterno iudici rationem reddere debet. Unde alia editio illa hunc versum transtulit: Male cogitans homo nullo damno affligitur; et si perniciosus fuerit, animam suam apponet: quia nimirum cum pecuniam violentus abstulerit, pro hac animam invitus dabit. »

Accedit Lyranus: « Impatiens, inquit, sustinebit damnum, scilicet patientie quam perdit. Et cum rapuerit rem alienam ex impatientia, aliud apponet, scilicet damnum innocentium cum damno patientie. » Quocirca illos tantum paupertatis damna experiri, qui paupertatem aere ferunt, docet S. Chrysostomus, in epistola *Lad Corinth.* hom. 20: « Propterea, inquit, pauperes sumus, quia paupertatem formidamus, etiamsi talia habebat est pauper, sed is qui horret paupertatem. Nam et in calamitatibus non eos defleamus, qui multa mala patiuntur, sed eos qui ferre nesciunt, » etc. Quin et Seneca, *epist.* 123: « Paupertas, ait, nulli malum est nisi repugnanti. »

Moraliter, discit hic impatientiam sibi ipsi esse carnificem, sicut vice versa patientia malorum omnium sibi ipsi est medicina et medicus. Patiens enim omnia leniter, patienter, et saepe hilariter fert, ideoque ea vel parum vel nihil sentit; at impatiens, sua impatientia se discrucians, omnium malorum sensum sibi auget et duplicat. Rursum inimicitias, lites, rixas sibi accersit. Denique per injurias quas aliis infert, reum se constituit, ut pecunia, libertate vel vita mulcetur, eo quod alios injuste iisdem mulcaverit. Sic ira et impatientia Simeonis et Levi vindicantur stuprum Dinae sorori illatum, maxima damna attulit; nam omnes Sichimitas occidit, ac totam Jacobi familiam stirpemque Israel periculo excidii objecit. Unde Jacob moriens eis maledixit: « Maledictus, inquit, furor eorum, quia pertinax; et indignatio eorum, quia dura. » Sic ira et impatientia Saulis non ferentis Davidem sibi equari, se suamque familiam perdidit, dum perdero satagil Davidem.

Memorable et huic loco perappositum est exemplum, quod recitat Phaedrus libertus Augusti Caesaris, lib. III *Fabul.* cap. XLIX. Quidam, inquit, libertus accusavit heram apud horum de adulterio, ut utriusque haeres evaderet. Heris, ut scelus deprehenderet, finxit se foras proficisci; at noctu festinus domum rediit: adit lectum in tenebris, virum in eo cubantem deprehendit, quem suspiciens esse adullerum, ex impatientia precipitanter confodit. At illato lumine videt esse filium suum: quare pra dolore impatiens eodem pugione seipsum transverberat. Uxor apud eum viros agitur rea viricidii et filicidii, quod tam virum quam filium occidit. Augustus Caesar, rei veritate vestigata et perspecta, hanc tulit sententiam: « Libertus, qui omnis mali causa existit, det poenas: nam heram orbata tam viri quam filio miserandam magis quam mandamam censeo. » En pater impatiens impatientie suae hac damna retulit: *primo*, eadem filii; *secundo*, eadem sui ipsius; *tertio*, uxoris orbitatem, columnamque vite periculum.

Praeclarus S. Gregorius, III part. *Pastor.* admon. 40: « Audient, inquit, impatientes quod electis suis Veritas dicit: in patientia vestra possidebitis animas vestras. Sic enim conditi mirabiliter sumus, ut ratio animam, et anima possideat corpus. Jus vero animae a corporis possessione repellitur, si non prius anima a ratione possideatur. Custodem igitur conditionis nostrae patientiam Dominus esse monstravit, quia in ipsa nos possidere nosmetipsos docuit. Quanta ergo sit impatientiae culpa cognoscimus, per quam et hoc ipsum amittimus possidere quod sumus. »

Vide de damnis irae et impatientiae S. Basilium, hom. *De ira*; Casianum, lib. VIII *De Institut. renunt.* cap. 1; S. Nazianzenum in eam. *De ira*; S. Chrysostomum, hom. 5 *in Math.*, et Senecam, lib. I *De Ira*, cap. II.

20. AUDI CONSILIUM, ET SUSCIPE DISCIPLINAM, UT SIS SAPIENS IN NOVISSIMIS TUIS. — Chaldaeus, *in fine tuo*; Syrus, *in senectute tua*; Symmachus, *audiens consilium suscipit disciplinam*; Vatablus, *audi consilium, et castigationem amplectere, tandemque sapiens*; Septuaginta, *audi, fili, disciplinam patris tui, ut sis sapiens in novissimis tuis*. Ad omnes enim, sed maxime ad juniores haec exhortatio pertinet, quae apte versus praecedent. subnectitur: sicut enim ibi docuit parentes ut filios instruant et castigent, sic hic monet filios ut castigationem hanc velut paternam humiliter libentique animo suscipiant. Solet enim Salomon disciplinam filiis et adolescentibus commendare, quia haec aetas, cum sit flexilis et instar tabulae rase, disciplina est capax, eaque indiget, ne in vita, ad qua forv juvenilis trahit, abripiatur.

Sensus ergo est, *q. d.* O juvenis, audi et sequere consilia et monita patrum et seniorum, ilique non semel, sed assidue et continuo: sic enim magnam colliges sapientiam et vir

in senecta plane sis sapiens et virtute praeditus. Sicut enim flumen, v. *g.* Rhenus in Alpibus, ubi nascitur, est exiguus, sed sensim progrediens illabentibus in eum rivulis augetur, ut tandem plenus ingensque fiat fluvius: sic prorsus puer exiguum habet sapientiam, sed audiens et discens sensim colligit sapientiae cumulum, ut in senecta illam habeat perfectam, adeo ut et in alios eam derivare, eosque sapientes fieri possit. Unde illud Hesiodi: « Bella sunt juvenum, opera virorum, consilia senum. » Sapientia ergo senes decet, *primo*, quia ipsa senectutis est deus; *secundo*, quia senium est finis vite hominis: a fine autem bono pendet bona mors, salus et felicitas a terra; in senio ergo quemque sapere convenit; *tertio*, quia senum est juvenes docere prudentiam et virtutem tam verbo quam exemplo. Unde illud: « Corona senum multa peritia, » *Ecl.* cap. XXV, 8. Vide ibi dicta.

21. MULTAE COGITATIONES IN CORDE VIRI; VOLUNTAS AUTEM DOMINI PERMANEBIT. — Ab-n-izza et i-yrhus hunc versum nequit praecedenti, quasi ejus dicit causam, *q. d.* Suscipe, o fili, disciplinam Dei et patris tui, ac ne declines post cogitationes et desideria cordis tui, quia cum multis cogitationibus humana mens scateat, nulla tamen praeter Dei consilium consistere potest. R. Levi vero hunc versum absolute accipit, referuntque tam ad beneficia quam ad supplicia, quae Deus pro peccatis irrogat, *q. d.* Fieri nequit ut cogitationibus et consiliis tuis frustreris cogitationes et consilia Dei, quibus tibi aliisque benefacere vel malefacere cogitat et destinat. Si ergo peccasti, noli sequi cogitationes tuas, ut media invenias quibus judicium Dei et meritas poenas evadas; sed ad Deum poenitens recurre, veniamque posece, et ejus gratiam concilia. Quidquid enim aliud cogitares et machinatus fueris, frustraneum experieris. Deus enim mille scit modos, ut vias illud evertendi, ac stabilendi beneficium vel supplicium, quod tibi irrogare decrevit, vultque hoc suum decretum permanere, et in executione deduci.

Denique generalis haec gnome generatim significat cogitationes et consilia hominum esse varia, incerta et evanida; Dei vero esse una, certa et stabilia. Per cogitationes enim accipit consilia, volitiones et decreta. Unde pro *voluntas* hebraice est *רצון* *racon*, graece *βουλή*, id est consilium. Opposit enim consilia et providentiam hominum consilia et providentiae Dei, quod illa sit incerta et instabilis, haec certa et stabiliis, juxta illud *Sapientia IX, 14*: « Cogitationes meae sicut fumus, et incerta: providentiae vero tuae. »

Dicit id Salomon hoc fine et fructu: *Primo*, ut doceat nos non confidere nostris cogitationibus et consiliis, sed eas subterfere consiliis et providentiae Dei; sic enim erunt stabiles et efficaces, atque ad optatum finem reddebunt. Unde Tobias moriens hoc consilium deo, *filio*, cap. IV, vers. 20: « Omni tempore benedicite Deum; et vir

Hebrae-
ana
sila
st. r. r. r.
Dei
sila

ab eo ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permanent. » *Secundo*, ut doceat nos nostra desideria conformare voluntati Dei: sic enim prudentia erunt aequae ac sancta. *Tertio*, ut doceat nos orare Deum, ut consiliis suis nostra dirigat, nobisque inspiret ea quae ipsi placita, vel ab ipso sancta et decreta sunt. Si enim nostris inventis nitamur, quae saepe Dei consiliis et voluntati contraria sunt, inessum laborabimus. Dei enim voluntas et providentia omnia nostra consilia eidem et dissipabit instar fumi, uti dissipavit consilia fratrum Joseph; fecit enim ut eum vendendo facerent principem Aegypti et Pharaonis, qui volens perdere infantes Hebraeorum, magis eos multiplicavit, *Exod. I.* Sin autem Dei providentia nostra consilia committamus, ipse ea diriget, et ad felicem exitum perducet, juxta illud quod de sapientia dicitur, *Sapient. vi, 17*: « Quoniam dignos seipsa circuit quarens, et in viis ostendit se illis hilariter, et in omni providentia occurrit illis. »

Ratio a priori est: *Prima*, quod cogitationes, consilia et providentia hominum sint multae, ideoque variae, instabiles, incertae. Homo enim cum parum futura penetret et provideat, dum his consulere vult, multa cogitat consilia, quibus mens ejus in varia fluctat, ut nesciat quid eligere et capessere debeat. Unde quod ei initio placuit, mox displicet; quod elegit, mox refutat: hinc quia toties mutat, nutant labantque ejus consilia, ac saepe dicit quod deterius, inutilius et inefficacius est, vel futurum est. Deus autem sibi constat; nam unum capit consilium optimum et sapientissimum, illudque sua providentia et decreto sancit stabilitque, ut immobile sit, ideoque futurum efficacius. Ita Auctor *Catenae Graecor.*: « Hominis, inquit, animus instabilis et mutabilis est; Dei vero mens et sententia stabilis et immutabilis. »

Secunda, quod consilia ad res futuras provide et sapienter disponendas pendeant a multis causis secundis, quae contingentes sunt, ideoque homini incertae, quia in se mutabiles: quo fit ut, dum homo his innititur, his deficientibus pariter deficiat, omnique ejus consilia corrumpantur et evanescant. Deus vero, cum sua providentia omnia contingentia dirigat et disponat, facit ut certo eveniat id quod ipse voluit et decrevit: quare idipsum reipsa fieri necessum est.

Tertia, quod voluntas hominis sit imbecilla, nec rebus causisquae se cogitat efficaciam dare possit; hanc autem dare valet Deus. Quare cum Deus absoluta voluntate aliquid vult, idipsum fiat necesse est, nec ullus demonum vel hominum id impedire valet, quia ejus voluntas est omnipotens aequae ac sapientissima, ac proinde omnia hominum ac demonum consilia sibi contraria dissipare potest, et mille rationes facile rem conficiendi advenire et depromere. Hoc est quod ait David (quo hic alludit Salomon, utpote filius

ejus): « Consilium Domini in referendum manet, cogitationes cordis ejus in generatione et generationem, » *Psal. xxxiii, 11.*

Igitur in rebus omnibus, praesertim incertis, dubiis et perplexis, non tamen a ratione nostra, quam a Dei mente pendere et consilium petere debemus, ac dicere cum Josaphat rege in actis posito, et pene a Moabitibus modo: « In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quae irruit super nos. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. » Quo enim majora sunt pericula, eo majora Deus suggerit auxilia; quo remotior est homo, eo vicinior est Deus, si invocetur; quo longius abest creaturarum subsidium, eo presentius est divinum, uti patet ex promissis S. Scripturae, et ex ipsa fidelium experientia. Quisque enim idipsum reipsa in se saepe expertus est, experitur et experietur. Hoc est quod cap. sequenti, vers. 24, ait Salomon: « A Domino diriguntur gressus viri; quis autem hominum intelligere potest viam suam? »

22. HOMO INDIGENS MISERICORS EST; ET MELIOR EST PAUPER, QUAM VIR MENDAX. — Hebraea ad verbum habent, *desiderium hominis misericordia ejus; et bonus pauper pro viro mendacis.* Sic et Chaldaei et Syrus, qui addit, *quam vir dives qui mendatur.* Unde primo, ex Hebraeo sic explicat R. Salomon, quasi dicat: Misericordia et pietas in primis efficiunt ut vir misericors sit in hominum desideriis; unde pauper praestantior est mendace, qui montes aureos pollicetur, et nihil praestat.

Secundo, Aben-Ezra, q. d. Desiderat homo misericordiam exercere in miseris, qui illa indigent, quia virum maxime docet pietas et misericordia: hinc praestat pauper mendaci se misericordem et beneficium ostentanti, sed fallenti spem.

Tertio, R. Levi prorsus contrarie vertit. Nam per *חסד* *chesed*, id est misericordia, accipit pauperem et vituperium (sic enim *chesed* pro probro accipitur *Levit. xx, 43*, et alibi per antiphrasim); unde vertit, *cupiditas hominis est probrum*, id est viliosa et probrosa, cum cuncta humani cordis cogitatio et cupiditas ab ipsis incurvabilis prona et intenta sit ad malum, *Genes. vi, 3*. Quamobrem illius cupido et vota nihil aliud spectant, quam res carnis et materiae sordibus constantes, in quae cum mutis et brutis animalibus convenit. Atque ideo pauper, qui cupiditatem suam explorare nequit, praestat mendaci, qui rebus hisce vanis et mendacibus fruitur, et ad satietatem, imo nauseam, sese oblectat et ingurgilat.

Quarto, Tigurina vertit, *volupte sit homini benefacere; melior est vir pauper homine negante, qui negat pauperi elemosynam.*

Quinto, Vatablus, *desiderium hominis est (vel esse debet) gratia ejus (scilicet Dei, qui praecessit vers. praeced.), et praestantior est pauper homine mendace, id est hypocrita, qui sibi aliquid tribuit.*

Secundo, Baynus, q. d. Homo naturaliter desiderat audiri misericors, et habere nomen laudemque liberalis et benefici, adeo ut etiam avari subinde benefici sint, ut beneficentiam suam ostentent; sed praestat pauperem esse nihil aliis donantem, quam divitem misericordiam per ostentationem simulatorem.

Septimo, Cajetanus pronomen ejus referens ad Deum, qui praecessit vers. 21, sic vertit et explicat, *desiderium hominis est misericordia ejus*, id est primum et summum hominis desiderium est, Deum misericordem experiri. Idem aptius ad ejus refert ad hominem, q. d. Hominis desiderium, appetitus et pensio natura sua fertur ad miserandum et succurrendum miseris. Hebraeum enim *חַסְדָּו* (*taava* significat desiderium avidum: radix enim *חַסַּד* *ava* idem est quod Latinum *aveo*, id est avide cupio).

Octavo, magis connexe Jansenius, q. d. Desiderant homines ut possint esse benefici et liberales in egenos, potest tunc ut suo desiderio et avaritiae, asserentes se desiderare divitias ob beneficentiam et misericordiam egenis exhibendam. Ad melior est vir pauper, qui sua sorte contentus vivit, quam is qui mendaciter suo ad conquirendas divitas desiderio praetexit opera beneficentiae. Sic dicit: Omnes quidem homines ex natura desiderant esse benefici; praestat tamen pauperem esse, et beneficium esse non posse, quam mendaciter de beneficentia gloriari, et suam, quam quis non exercuit beneficentiam praedicare.

Nono, Septuaginta Hebraeorum *taava*, id est desiderium, vertunt, *καρπός*, id est fructus (fructus enim est desiderium, id est res desiderata et summe optata agricolae et laboranti) viro est misericordia ejus; melior est autem pauper justus quam mendax dives. Jam per fructum Auctor *Catenae Graec.* accipit meritum et mercedem; unde vertit, *magnus promeritus est homini elemosyna, vel misericordia*, quasi dicat: Ingens census et redditus est elemosyna: quia integram affert mercedem et compensationem a Deo. Elemosyna ergo est praedium quovis agro feracius. Alii fructum accipiunt pro effectu et proprietate, quae ex hominis natura et indole prodit et resultat, q. d. Sicut ex arbore vel semine prodit et producit fructus, v. gr. podium: sic ex hominis natura et indole prodit humanitas, beneficentia et misericordia. Homini enim congenita est humanitas, ut homo non sit qui humanus non sit et misericors, sed inhumanus, crudelis ac barbarus. Unde S. Chrysostomus, *homil. 54 in Matth.*: « Non voluntati, inquit, solum et arbitrio humanitatem et misericordiam Deus commisit, verum etiam ejus non parvas partes naturae ipsi inest; qui hanc non habet, a natura hominis decedit. » Unde Job xxxi, 48: « Ab infantia mea, inquit, crevit mecum miseratio, et de utero matris meae egressa est mecum (1). »

(1) Desiderium si passive seu objective capitur, emergit

Ubi nota. Humanitas et commiseratio naturalis a natura insita est homini, ut videtur hominem sibi congenere miserum naturaliter et condoleat et misereatur: a misericordia supernaturalis, quae quis compatiatur homini, non tantum ut creature, sed ut homini elevato ad statum supernaturalem, scilicet ut capaci gratiae et destinato ad gloriam sempiternam, praesertim si compatiatur, ex charitate et amore Dei, cujus proximus miser est imago; haec, inquam, misericordia supernaturaliter inseritur homini, sed apte et accommodate ad ejus naturam, quae, ut dixi, propensa est ad humanitatem et misericordiam. Unde sicut ramus piri unius ramo piri alterius sibi congeneris inculatur et inseritur, atque per hanc insertionem fit melior et feracior, pluresque et meliores fructus profert, ut docent agricolae, et constat experientia: sic pariter cum per Dei gratiam, perque merita et exempla Christi inseritur naturae nostrae misericordia supernaturalis, tunc utique majores et praestantiores beneficentiae dat fructus et opera.

Haec de lectione Hebraea et Graeca. Jam dubium est qua ratione noster Latinus Interpres pro *taava*, id est desiderium, vertit *egestas*, nimirum: « Egestas hominis est misericordia ejus, » id est, ut ipse explicat: « Homo indigens misericors est. »

Respondeo, quia Hebraei egentem et pauperem vocant *עביון* *ebion*, id est desiderantem, eo quod pauper omnibus egenis omnia desiderat, ut suam egestatem levat. Pauper ergo est *ebion*, id est multivolutus (radix enim *עבא* *ava* significat velle, cupere, desiderare), desiderans et desiderius, ac quasi ipsum desiderium: quia totus ex desideriis conflatus videtur. Hinc et desiderare subinde idem est quod deficere et deesse, ut cum dicimus in familia desiderari suppellectilem, prolem, ancillas, etc., id est deesse. Unde haereticus ille priscus vocari voluit *ebion*, id est pauper, quod volens libensque esset pauper effectus, testans se fuisse unum ex illis qui pretium rerum suarum possuissent ad pedes Apostolorum, uti testatur Eusebius, lib. III *Histor.* cap. xxxi. Verum S. Ignatius, *epist. ad Philadelph.*, apposite laudens idipsum in eum retorquet, asseritque eum vere ebionem, id est pauperem, vocari, eo quod pauperissime sentiret de Christo, spolians eum divinitate, dicensque eum merum esse hominem. Hic, inquit, vere est ebion, id est inops mentis, et pauper sensu potius quam censu.

Hinc moraliter disce avarum, licet divitem,

sensus concinnus, scilicet hic: *Desiderium hominis*, id est, quod hominem facit desideratum, amatum, omnibusque acceptum, est *beneficentia ejus*. *Vir mendax* hic est dives qui benefactorum se falso pollicetur. Non male Mauror *חַסְדָּו* desiderium accipit ut *Gen. xlii, 25*, v. r. *titique decus*. Vulgatus interpres *desiderium hominis* *est* *pro indigente*, quia quis eorum tantum, quibus *est*, desiderio tenetur.

Hebraea, id est pauper, unde?